



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

ne, perditos miserabiliter queruntur. Deus ignoscat ei, qui tot, tantorumque malorum causam sustinet. Vnum oro, ne me conuenias, tuaque calamitate, ac dolore mœrorem augeas meum. Quanquam cōfido id ipsum incommodum tibi emolumento futurum. Neque enim dubito, quin Rex (vti ab eo per litteras petij) debita præmia sit persoluturus egregiæ tuæ erga Christi religionem voluntati. Præfectum quoniam nostrum iter tam appositum ad rei Christianæ amplificatione impedire non dubitauit, valere iussi. Deus homini ignoscat. Evidem eius vicem doleo: longe enim grauiores pœnas datus est, quam ipse vñquam putarit. Dominus noster tuę salutis custos, idemque mei huius conatus & dux sit, & comes. Amen. Ex ædibus nostris Malacensibus tuam nauim consensurus. VII. Kal. Iulias M. D. LII.

Eidem. Epist. XII.

MA G N U M tui desiderium, quod ex af fidua tui memoria capio, incredibilem mihi solitudinem parit, quod te in terra pene pestilenti reliquerim. Hic in tua nau perbenigne tuo beneficio tractor: mihi que ac meis comitibus res necessariæ suppeditatur. Etsi eomites quidem mei ita ægri sunt, ut quotidie morbus ingrauescat, non sine maxima mea molestia. Deo ybiq; gratia, in cœlo, &

*Rebus ad
uersis Deus
arctissime
complecten-
dus.*

*Præclarum
victorius gen-
tium.*

lo, & in terra. Cura, queso te, etiam atque etiam, vt valeas, & ratione, atq; prudentia pa- latim acceptis vulneribus medearis. Illud abs te vehementer peto, vt nunc quam ar- Etissime complectaris Deum, qui tam diffi- cili tempore, calamitatem subleuet, ac sole- tur tuam. Id adeo consequere, si crebrius Confessionis, & Eucharistiæ frequentabis mysteria, teque ad diuinam voluntatem pe- nitus conformabis. Patres Malacensis Col- legij saepius adeas censeo, atque ab his con- solationis petas medicinam. Evidem Dei benignitate spero futurum, vt ex istoc pro- bro, ac detimento magnum propediem de- cus, atque emolumentum existat. Accepi certos homines fuisse, qui cum nostri itine- ris impedimenta remouere possent, sui com- pendij causa noluerint. Sed vehementer errat, qui deserto fonte bonorum omnium Deo, commoda, atque utilitates ab ho- minibus petunt. Verum illud præclarum est vlciscendorum inimicorum genus, vt eis, & cœlesti numen placare, & benigne facere studeamus. Nimirum Deus ipse vicem no- stram vlciscetur, poenasq; ab eis repetet omniū opinione maiores. Quod utinā secus eueniat. Si vt spero, DEO approbante, pene- trauero in Sinas; Lusitanos captiuos cōmo- nefaciam, quantū tibi debeant pro sumptu, quem ipsorum causa feceris, ac facturus es,

esses, nisi hominum improbitas obstitis-
set: atque etiam spem miseris illis faciam
libertatis, quam eos proximo anno (si
DEVS fauerit) tuo beneficio recupe-
ratores esse confido. Sane velim dete, de-
que tuis rebus me facias certiorem. Vbi-
cunque enim terrarum fuero, pergratum
mihi, perque iucundum erit, tecum per
litteras colloqui. Quod si DEO aliter vi-
sum erit, aditusque nobis omnes in Sinas
clausos videro; fortasse Malacam primo
quoque tempore transmittam, atque in-
de in Indiam. DEVS tecum sit, tantum-
que tibi, quantum mihi ipse expeto, in
hac vita solatij, in altera illa felicitatis im-
pertiat. Ex freto Sincapurano XI. Kal.
August. M. D. LII.

P. Gaspari Rectori Collegij Goani.
Epist. XIII.

VIIX credas, quam fuerim exagitatus
Malacæ; nec vero tibi ego scribere
queam: Franciscum Perem ad te iussi per-
scribere. Quicquid ille scripserit, quam-
uis incredibile videatur, credas licet. Ego
in Sinarum insulas, quæ Cantoni vrbi adia-
cent pergo, ab humano præsidio nudus; se-
ptus tamen, ut spero, diuino. In spem venio
fore, ut Ethnici homines incontinentem

Sina-